

## D E D I C A T I O .

prema salus concredita est. Sola itaque æquitatis Vestræ & causæ suæ fiducia freti Remonstrantes, supplices se advolvunt genibus vestris, & ut causam eorum ex æquo & bono cognoscatis, obnixè postulant.

Ne vero vos N. N. D D, quos hoc tempore gravissimis de summa Reipub. curis ac negotijs occupatos esse non ignorant, prægrandi hac Apologia remorentur, paucis, si placet, accipite, quæ in ea pluribus disceptantur, ut vno quasi oculi ictu omnia habeatis perspectissima.

Summa accusationis duobus fere capitibus continetur. Primum spectat Declarationem ipsam. Alterum eos, quorum nomine Declaratio edita est, Declarationem Theologi vestri errores nec paucos nec leves continere asserunt, quos vel Pelagio vel Semipelagianis aut Massiliensibus, vel Socino acceptos ferēdos esse aiunt, Declaratores vero schismatis ac secessionis nuper natæ autores faciunt ac fomites. Vitam eorum, quæ, cœlo ipso teste, sine labe sine macula fuit, apertè non traducunt, sed subinde hic illic veluti in transcurso admordent, vsque adeo tamen inverecundè, ut quod mens vel cogitare horret, eos in suspicionem læsæ Maiestatis aut perduellionis vocare per intervalla non dubitent. Ita enim fere fit, Quorum ingenium errare creditur, eorum pietas in dubium vocatur, perinde ac si errorum scelerumque necessaria sit cognatio, & ad id individuo nexu cohæreant, Error atque Impietas, ut errorum reprehensio iustam criminum omnium suspicionem post se trahat.

Summa responsionis est. Primo, errores quod attinet, Nec ad iustam probationem, quod sententia aliqua erronea sit, sufficere, si hunc aut illum damnati vel exosi nominis autorem habeat; nec, si id omnino sufficere creditur, iustam causam esse, cur Declaratio Remonstrantium damnatis aut exosis istis, quos aiunt, autoribus accepta sit ferenda. Ad iustam probationem autoritas humana non sufficit, nisi in consistorio Pontificio. Nec satis est damnatam olim sententiam esse, nisi damnandam eam aut iure ac rite damnatam esse constet. In foro conscientiae & Christi auditorio non alia constant argumenta, quam quæ suppeditat aut Scriptura aut recta ratio: Cætera, etsi pondus suum habeant, tanti tamen non sunt, ut propterea rectè aut secus sentire quisquam iudicandus sit. Quare nec pro dignitate sua nec pro causæ suæ merito egerunt Theologi vestri, cum id vnum potissimum operam dederunt, ut Declarationem Remonstrantium, non tam erroris convincerent, quam similitudinis

litudinis